



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi
coadiutoris**

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

Capvt III. De secundo detrimento, quod ex parte dæmonis, per naturales
memoriæ apprehensiones animæ, contingere potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873

CAPVT III.

De secundo detrimento, quod ex parte demonis, per naturales memoria apprehensiones animae, contingere potest.

Secundum detrimentum positium quod anima medijs notitijs memoriae pati potest, se habet ex parte demonis, qui multum sibi iuris per hoc medium usurpat in animam. Potest siquidem adaugere formas, & illis sedare animam, superbia, auaritia, inuidia, ira &c. Suscitare etiam iniustum odium, vanum amorem, multisque alijs decipere modis. Praeterea solet ipse adeo res Phantasiae imprimere, vt res falsa videantur verae, & verae falsa. Postremo vniuersa fraudes, & damna, quae contra animam molitur demon, per formas ac notitias memoriae ingrediuntur. Quod si anima in omnibus illis sese obscurauerit, & in earum obliuione ad nihilum redegerit, obstruet totaliter huic demoniaco damno aditum ab omnibusque istis rebus libera euadet, quod certe ingens bonum est. Nihil quippe contra animam praevalet demon, nisi medijs operationibus, potentiarum ipsius, praesertim vero formarum specierumque adminiculis: ab illis enim, quasi omnes reliquarum potentiarum operationes pendunt. Vnde si memoria sese in illis annihilauerit, nihil prorsus praevalet demon: nihil enim reperit, per quod attrahere possit animam, si autem nihil inuenerit, nihil potest.

Optarem ego, vt spirituales viri tandem perfecte animae ducerent, quanta nocumenta animabus illorum inferant demones, media memoria, quando illa vti

assuescunt: quantas tristitias, & afflictiones, quot gaudia vana, tam circa ea, quae de Deo cogitant, quam etiam circa res mundanas in eis excitant, quantas etiam impuritates in spiritu radicatas illis relinquunt, diuertendo maxime illas a suprema recollectione, quae in hoc sita est, vt tota anima secundum suas potentias in solo incomprehensibili bono collocetur, & ab omnibus rebus apprehensibilibus abstrahatur. Quares (licet tantum bonum ex vacuitate ista minime sequeretur, sicut est in Deo sese collocare) ob id solum quia est causa, multas pœnas, afflictiones, & tristitias effugiendi (praeter imperfectiones, & peccata, quae hoc modo euadit) maximum certe bonum est.

NOTA: In quo suprema anima recollectio consistat

Apprehensiones istae memoriae morale bonum praepediunt, spiritus vero bonum eam priuant.

CAPVT IV.

De tertio detrimento, quod in animam per memoria notitias distinctas, & naturales redundat.

Tertium detrimentum, quod in animae apprehensionum naturalium memoriae via resultat, est priuatiuum. Possunt enim apprehensiones istae morale bonum eius praepedire, spirituali vero priuare. Et vt primo loco ostendam qualiter apprehensiones istae morale bonum animae praepediant, sciendum est, morale bonum in passionibus coercendis, appetitibusque deordinatis frænandis positum esse, ex quo sequitur in anima tranquillitas, pax, quies, quae ad morale bonum pertinent. Habenas porro istas ac frænum non potest ferio, fundateque obtinere anima, nisi obliuione sepeliat, & a se ablegat illa, ex quibus affectus oriuntur, nunquam enim aliunde animae turbationes

NOTA: Omnes animae turbationes a solis memoriae apprehensionibus oriuntur.

B. Iohannis in Cruce

Opera Mystica

III 127